

ubi ceperunt advertere, & nihil in ea dignum invenire, propter quod tanta damna paterentur, sine ulla difficultate Catholici facti sunt. Docuit enim eos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat. Istorum autem omnium precedentium auctoritatem & persuasionem secuti sunt multi, qui minus idonei erant per seipsum intelligere, quid distaret inter Donatistarum errorem, & Catholicam veritatem.

Ex his Augustini dictis facile colligitur, ipsum probare quidem Hæreticorum coercitionem, non ad vindictam, sed ad emendationem ac poenitentiam; quod expressius docet *Epist. 100.* ad Donatum Proconsulem Africae, ubi ipsum deprecatur, ne nimium in Hæreticos deserviat, & ne pro immanitate facinorum, sed potius pro lenitatis Christianæ consideratione censeat coercendos. Neque enim ait vindictam de inimicis in hac terra requirimus, aut verò ad eas angustias animi nos debent coarctare, quæ patimur, ut obliviscantur, quid nobis præceperit, pro cuius veritate ac nomine patimur. Diligimus inimicos nostros, & oramus pro eis. Unde occasione terribilium iudicium ac legum, ne in æterni iudicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec supplicis, quibus digni sunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compescere, ut sint, quos poeniteat peccasse.

XXV. Superiore sæculo exortis hæresibus Lutheranâ, & Calvinianâ, quæ & ad has vicinasque Provincias virus suum spargebant, Principes nostri plurima, eaque nonnulla admodum severta adversus has hæreses, & earum fautores, & patronos edidit; quibus in eos, eorumque conventicula animadverti mandavit; ipsosque ad has Provincias tribunal vetavit; & alia multa, quæ ipsis pro extirpatione hæreses, & conservatione populi in avita Catholica fide conductentia apparebant; quæ omnia referuntur in libris Edictorum; & summarie recitantur, & indicantur in Codice Belgico Antonii Anselmi Juris-Consulti Antverpiensis, verbo *Ketters*, id est, *Hæretici*.

XLVI. Sive Principum Edicta, sive Canones Ecclesiæ, seu Pontificum Decretales attendamus, indubitatum est, primam de hæreticis sive hæresibus, in quantum doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ opponuntur, inquisitionem & iudicium Episcopis competere; eisque semper hoc iudicium esse delatum: adeò ut nullus de hæresi, ut est crimen merè Ecclesiasticum, iudex præter Episcopos per 12. & amplius sæcula notus fuerit; quemadmodum *parte 1. tit. 22. cap. 3.* notavimus.

XLVII. At circa sæculum XIII. exortâ hæresi Albigenisium, eaque in partibus Gallicanis, ac signanter in Comitatu Tholosano latius continuo progrediente, nonnulli ab Innoc. III. Romano Pontifice deputari ceperunt, qui unâ cum Episcopis in hæreticos inquirerent, & auctoritate Apostolicâ maniti contra hæreticos procederent, imò & ipsi Episcoporum defectum supplerent, qui dein *Inquisitores fidei* seu *hereticæ pravitate* dicti fuerunt; de quorum origine & progressu citato *c. 3.* egimus; ac insuper notavimus, quomodo tandem tribunal *inquisitionis* erectum fuerit, coram quo de hæresi, & de hæreticis, aut de hæresi suspectis, eorumve fautoribus cognosceretur & iudicaretur.

XLVIII. Hoc Inquisitionis tribunal fuisse receptum in Regno Arragoniæ circa annum 1233. a laborante Sancto Raymundo De Pennafort Ordinis Prædicatorum, scribit Ludovicus à Paramo De Origine & Progressu Inquisitionis *lib. 2. tit. 2. cap. 8.* sed extra Regnum Arragoniæ se non extendisse constat ex epistola Innocentii IV. datâ ad ipsum Raymundum anno 1249. quæ habetur tomo 11. Concil. col. 603.

Sub finem sæculi XV. ad alia Regna & Ditiones Hispaniæ tribunal extendi cepit. Mortuo enim Henrico Arragoniæ Rege sine liberis, Regnum illud devolutum est ad ejus sororem Isabellam, quæ iuncta matrimonio Ferdinando Castellæ Regi postularit, auctoritate Sixti IV. Inquisitionem in hoc Regno stabiliti & confirmari an. 1484. obtentâ postmodum Bullâ, qua toti administrationi tamquam generalis

Inquisitor præficebatur. *Thomas de Turre Cremata* ex Ordine Dominicanorum præcipuâ apud Reges gravâ, quorum peccata per poenitentiam expiare consueverat, ut loquitur Mariana *lib. 24. De Rebus Hisp. cap. 17.* qui & addit "Edictis Inquisitionis propolitis, ipse venit homines pro-miscuæ ætatis, sexus, conditionis, ad 17. milia viros, ultio crimina esse confessos, duo milia igne crematos, majori numero in vicinas Provincias delapso."

Ut intelligatur, quare tot milia virorum ultio sua crimina confiterentur, sciendum, quod Inquisitor in suo adventu habeat sermonem ad populum, in quo magna gratia addicitur iis, qui sua crimina sponte confessi fuerint, veniamque petierint.

Narrat ibidem Mariana, tribunal hoc inquisitionis initio Provincialibus grave visum fuisse; multaque adversus illud fuisse populi querelas. Quibus tamen non obstantibus, paucis post annis, hoc inquisitionis tribunal per omnia penè reliqua Hispaniæ Regna propagatum est, variisque locis Inquisitores constituti, quibus omnibus hodie præest Inquisitor generalis, qui à Rege nominatur, & à Pontifice confirmatur: præfideque hic supremo Inquisitionis Concilio, quod Curiam Regis semper sequitur, ab hoc Concilio reliqui inferiores Inquisitores leges accipiunt; atque ab eorum sententiis ad hoc appellatur.

Inquisitio Lusitanica efformata ad normam Inquisitionis Hispanicæ erecta fuit à Paulo III. anno 1535. ad postulationem Joannis III. Lusitanicæ Regis.

In Italia plures jam pridè Inquisitiones institutæ fuerunt, designans Inquisitoribus præcipuè ex Ordine Prædicatorum & Minorum. At in Urbe Roma Inquisitionis tribunal per ipsum Pontificem cum quibusdam ministris, quos pro oportunitate assumebat, exercebatur, donec Cardinales ad id deputari ceperunt; ac tandem Congregatio Inquisitionis instituta fuit; de quibus *parte 1. tit. 22. cap. 3.*

XLIX. Carolus V. Belgii Principem circa annum 1541. voluit in has Belgii Provincias Inquisitores fidei introducere, patet ex Concordatis inter ipsum Carolum & Episcopum Leodiensem initis. Ibi enim cognitio de crimine hæresis soli Episcopo delatâ, additur hæc clausula. "Salvâ Principi prærogativâ suâ quoad *Inquisitorem* per eum à Sancta Sede impetratum vel impetrandum." De fidei Inquisitoribus per Carolum V. à Sede Apostolica postularis impetratis etiam agit Favianus Strada de Bello Belgico *lib. 2. ad an. 1550.* ubi scribit: "Cum postulasset (Carolus V.) à Pontifice Censores fidei, accepissetque, eorum auctoritate, securitatis cavens multa sancivit, quæ anni 1550. Placito præferebantur." Habetur hoc Placitum *parte 1. Edictorum Brab. lib. 1. tit. 2. c. 2.* sub hoc titulo: *Institutio pro Inquisitoribus hereticæ pravitate in Belgio*. Hic inter alia dicitur, quod progressu hæresis providere volens Sua Majestas, "in Provinciis Inferioris Germaniæ, Sux Majestati ratione sui patrimonii subjectis, certos Inquisitores hereticæ pravitate, viros doctos, & probos, includere vitæ & famæ ordinari & designari curavit, quibus data est ampla potestas contra omnes Hæreticos, & de hæresi suspectos, eorumque fautores & receptores, inquirendi, procedendi, corrigendi, & puniendi, nec non procedendi ad degradationem Ecclesiasticorum, & conditionem Curie seculari, iuxta formam & tenorem litterarum Apostolicarum desuper confectarum.

Post hæc multis articulis, modum, quo Inquisitores procedere debeant, & qualiter ipsis à Magistratibus Regni auxilium præberi deberi debeat, præfcribit.

Rursus Philippus II. in quem Carolus has Provincias Belgicas pleno jure transtulerat, præfatum Edictum novo Edicto approbavit & confirmavit, & in quantum opus erat, de novo ordinavit & statuit in civitate Bruxellensi an. 1555. 28. Novemb. "Requiritentes (ait) omnes & singulos Inquisitores, eorumque subdelegatos, ut omnia in dictâ Instruktionem præscripta diligenter observent, debiteque executioni tradant: Mandantes itidem cunctis, tam Magistratibus, quam privatis, subditisque nostris universis, ut

præfatis inquisitoribus circa, quæ in dictâ Instruktionem continentur, omnem præsentem assententiam, Mandatisque Ordinacionibus hujusmodi, quantum ipsos concernit, diligenter pareant, quatenus gratiam nostram charam habeant, indignationemque nostram, ac pœnam arbitrariæ correctionis evitare maluerint."

Quamvis hoc Edictum publicasset Philippus, rem tamen haud promovit (ait Strada) implicitus repente bello, quod eo ipso, quo Edictum proposuit, anno, tribusque insequentibus, accerime cum Gallo gessit.

At mox ut liber fuit à bello, animum rursus ad Religionem promovendam adjiciens, discedensque à Belgio an. 1559. mandata forori suæ Gubernatrici atque Antistiti Granvellano dedit, enixe curarent, ut Caroli Edicta & cautio-mar, exquisitè servarentur, ait Strada.

Denique an. 1565. Philippus II. iteratò scripsit ad Margaritam Parmensem Belgii Gubernatricem, "ut Quasitores causarum fidei ubique persanctè retineantur, omni-que ope à Gubernatrice ac reliquis Provincialium Præfatis adjuventur."

His litteris receptis, earum copiam misit Gubernatrix ad Conciliū Flandriæ, præcipiens, ut omnis favor & assistentia præstetur Inquisitoribus fidei in exercitio sui officii, ipsaque Inquisitio fiat, prout hæcenus facta fuit. Verba litterarum sunt: *Aussi que l'on donne toute faveur, & assistance aux Inquisiteurs de la Foy en l'exercice de leurs offices. Et que l'Inquisition se face par lesdits Inquisiteurs, comme elle s'est faite jusques à maintenant, & comme leur appartient par droits divins & humains, ce que Sa Majesté aussi tres-expressément commande par lesdits lettres.* Id est: Insuper ut omnis favor & auxilium Inquisitoribus fidei in muneris sui executione præstetur, utque per dictos Inquisitores, prout hæcenus obtinuit, Inquisitio fiat, & prout ad eos divino & humano jure spectat, quod Majestas sua verbis conceptis per litteras dictas statuit.

Ex his aliisque intelligitur, tam Caroli V. quàm Philippi II. intentionem fuisse, inducere & stabilire Inquisitores in has Provincias; ipsaque litteræ ac Edicta Regia satis innuunt, & aliunde constat, Inquisitores aliquo tempore stabilitos fuisse, saltem in aliquibus Belgii partibus, testisque, est ipse lapis sepulchralis Michaelis Baii, qui visitur in Sacello Collegii Adriani VI. Papæ hic Lovanii, in quo ipse Baius dicitur *Generalis per Germaniam Inferiorem Inquisitor Regius*.

L. Cæterum ipse toties repetita Edictorum pro stabilendis Inquisitoribus renovatio sat inauit, non eam fuisse populi Belgici in recipiendis hisce Inquisitoribus animi promptitudinem, quam ipsi Principes desiderassent; imò sumas fuisse ab initio usque ad finem populi & Nobilium oppositionem, colligitur ex iis, quæ Favianus Strada, alii que tumultuam Belgicorum Historiam tradunt.

Et quidem Strada factâ mentione Edicti Caroli V. de año 1550. cujus supra meminimus, addit: "Verum nova illa iudicii facies plus terroris secum attulit in Belgium, quàm observantia. Nam etsi alicubi suscepta res est, Brabantini tamen, quòd in eo carpi libertatem suam dicerent, comòdum nacti, imposito sese onere liberarunt sub ejus anni quinquagesimi finem." Hæc ille *lib. 2. ad an. 1550.*

Deinde postquam narravit, quòd Margareta Parmensis Belgii Gubernatrix vellet conformiter ad Mandata Regia, Edicta de *Inquisitoribus* executioni mandare, scribit, quòd Gubernatrix de hac re cum Præfatis Provincialium agere aggressâ, *senferit esse non paulò difficilium imperata facere, quam imperare faciendâ.*

Præterea testatur, quòd Magistratus ægè viderentur id negotii in se suscipere, & inter Nobiles essent dissensiones. "Apud populum nihil moderati, aut medi, consternatio præsum, mox audacia: nunc timent, nunc terrenti similis: nempe ut potentiorum aspiratione, atque Hæreticorum flagello agitabatur," *lib. 2. ad an. 1550.* ubi scribit, quòd & in ipsum Regem voces exaudirentur, quas aliunde immixtas in ora sermonemque multitudinis apparebat: atque in iis

Van Espen Jur. Eccl. P. III.

vehemens contra formam illam Inquisitionis elucebat animorum commotio; imò teste Strada, tantus tum populi, tum Nobilium adversus Inquisitores fuit excitatus tumultus, totque sparsi libelli pro eorum abrogatione, ut annuente Gubernatrice, datâ veniâ delinquentibus, & mitigatis Regiis Edictis, intermissa fuerit cõtentio de eo inferendis Inquisitoribus, ubi antè non fuerat; uti latius narrat Strada loco citato.

Verum hæc animorum commotio magis emicuit, cum circa ann. 1565. nomine Philippi II. rursus urgeri cepit negotiū Inquisitionis, ipsaque Gubernatrix litteras ea de re misit ad Provincialium Concilia, quarum supra mentionem fecimus.

"Etenim Regis Edictum Brabantinis cum proposuisset, Provinciarum Cancellarius, (neque enim Brabantia Præfectum, habet alium præter eum, qui toti Belgio præest) illico civitates, quæ dicuntur Provinciarum capita, Lovanium, Bruxellæ, Antverpia, & Buscoducum, coacto Senatu, compositoque ad Cancellariam libello, vehementer iracundæque flagitant, ut suorum ratio privilegiorum habeatur, quibus ea Quasitorum iudicia, Casarisque Placita cum repugnent, non debuissent Edictum Regis à Cancellatio tam facile proponi, à se certè admitti non posse.

Quanta fuerit Nobilium & magnatum commotio, pluribus ibidem narrat Strada, aitque: "Tunc enim verò, qui conjurationem moliebantur, nacti speciem tuendæ patriæ libertatis, sparis incredibili celeritate per Provincias libellis, (eos ad quinque milia fuisse scripsit ad Regem postea Gubernatrix) Hispanicam inquirendi de Religionem censuram ludibriis, execrationibus, maledictis omnibus lace-rate: monere populos, ne eis sese tyrannidi supponerent, cui ubique gentium, ac veluti quodam consensu generis humani repugnatum sit, ne Romæ quidem sine tumultu initia ejus exutisse: quid agendum esse Belgio tot privilegiis adversus nova hæc omnia communito?"

Quin eodem Stradâ referente *lib. 5. ad an. 1566.* novem homines à Nobilitate foedus conscribunt, quod cæteris proponerent, in quo exortis ab Inquisitionis execratione, dicebant, eam divinis humanisque legibus adversam, barbariem longè superare omnium retro tyrannorum, seque *facietatem misse, quâ obviam irent nefariis eorum conatibus, qui per hac judicium præscriptionesque ac cades in optimorum civium fortunas inseperent.* Hæc conjuratio vulgò *compromissum* appellata est, inquit Strada; ac variis dein linguis, quo ubique vulgaretur, prodiit in lucem cum hac inscriptione, ut Britanicè quidem edita præferebat: *Exemplar foederis à Proceribus, Nobilibusque Inferioris Germaniæ percussis, ob Hispanicam Inquisitionem, hisce Provinciis intentatam.*

Plura addit Strada, quæ ostendunt, magis continuo crevisse Nobilium Procerumque adversus Inquisitionem commotiones; diciturque, ipsam Gubernatricem in publico Procerum & Magistratum concessu fallam: *Scio adversus hoc tribunal effuse ferri omnium odia.* Id ipsum Proceres confirmant, dicentes: "Quod verò ad Inquisitionem attinet, satis apparete, eam nulli hominum ordini acceptam esse, adeò ut Antverpiæ nemo sit tam tenuis fortunæ, qui scilicet aut hostile aliquid non ostendet, mineturque, illo se telo usurum in eos, qui Hispanicam Inquisitionem inferre in urbem conitantur. Imò & Episcopos non levi affectos injuriâ videri, dum Religionis causa, quarum cognitio ad ipsos jure pertinet, ad posterius hoc Quasitorum tribunal transferuntur."

Et licet in eo consensu non una fuerit omnium sententia, *vix tamen fuit in eo Senatu, qui opportunum tempore existimaverit ejusmodi tribunal.*

Tandem post multas altercationes res in hunc modum composita est: "Cum duplex sit Inquisitionis genus, alterum muneri Episcoporum adjunctum, alterum certis iudicibus à Pontifice Maximo impositum. Quærelas atque odia populorum esse dumtaxat in hosce Pontificios Quasitores: quos licet Carolus Cæsar invexerit in Belgium, id tamen coactum fecisse Paucorum inopiâ negligentiaque. Quæ ratio cum in presentia cesset, simulque tantopere

Nnn 2

morta-

